MARIANNA
HISPANIARUM
REGINA

PVBLICÆ FELICITATI SOSPES.

CARMEN ΚΑΛΛΙΩ'ΝΙΣΤΟΝ

MICHAELIS MONDEGAII

E' SOCIETATE IESV.

Ad Excellentiſſimum Dominum

D. LVDOVICVM
DE LA CERDA

METHYMNÆ CÆLIÆ DUCEM, &c.

Proregem Neapolitanum, &c.

VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA N. ROMA

NEAPOLI, Ex Typographia Jacobi Raillard MDCXCVII.
Superiorum Permiſſu.

Excellentiſsime Princeps.

Poeticum hunc luſum de Mariannæ Reginæ noſtræ reſtituta valetudine Tibi ſiſtendum, ſeu potiùs reddendum putavi; quod enim opus Te auſpice famam, hoc eſt vitam aſſequitur, id tuum eſt; præſertim cum in eo inſtituendo non tam Mœcenatis quam authoris munera obeas. Nam ubi primùm animum ad ſcribendum appuli, Teque mihi pro Phœbo invocandum ſtatui, repentè vel ipſo Nominis tui auſpicio me è triviis in aulam tranſtuliſti; tum, gaudio ex publica fauſtitate concepto in furorem abeunte, ultra humanas vices, ultra Fortunæ aleam abreptum, jamq; è Poeta Augurem, in arcana Providentiæ adyta invexiſti; ut pene mihi non

tam

tam in Pindo, quam in Cælo verſari viderer, ſummiq; Numinis conſilia perſpicere, quæ ubi de Auſtriaca Re agitur, immutato Fatorum ordine, vel damnis in lauros ſuccreſcentibus, triumphalem ad Capitolium viam ſternere conſueverunt: & dum iram præferunt, ingenioſa amoris jucundiſſimi tentamenta exhibent, tumulis ipſis in trophæa ſubſtructis. Atque utinam hoc in carmine nihil poeſim ſapiat præter ſtylum; & fabula in hiſtoriam verſa, illud tandem augurii mei eventus probet, Auſtriacum atque Hiſpanum eſſe nihil Fortunæ: debere præter virtutis materiem; reliqua omnia Providentiæ, omnia ſibi. Tu interea, cujus dignitas, atque authoritas gemino faſtigio ultra nubes, atque adeò ultra invidiæ ictum aſſurgit, hæc vel Poetæ ſomnia amori blandientis ſuo, vel Auguris oracula lentam civium ſpem excitantis, tuo, hoc eſt regio animo excipe; atque ut Hiſpanam felicitatem conſilio, ac virtute diu fulcias, vive diu, & vale. Ita vovet

Excellentiæ Tuæ

Addictiſsimus, & obſequentiſsimus Famulus
Michael Mendegajus è Soc. Jeſu.

D. O. M.

VIvit io Marianna: levi, Sebethe, fluento
Adde fugã, & multa prętextus arũdine crinẽ
Altiùs evictis Neptuno illabere ripis:
Voſq;ò,quę ſylvas,voſq;ò quę flumina Nym-
Quæq;lacus paſſim Euboicos,queq;arva Veſevo(phę,
Proxima, quæque ſinus ponti luſtratis apricos,
Ferte pedem; jubet ipſa ſibi de more choreas
Inſtitui Regina, quibus latè excita tellus
Fundat purpureos alieno tempore flores;
Tuque adeo Auſonias inter pulcherrima Divas,
Parthenope, blandum Latii decus, alter Iberi
Regis amor, ſumptis cithara pauliſper, & arcu,
Ne renue Hiſpanas mecum percurrere laudes
Litore in hoc; reboant rupes dum plauſibus,& dum
Pauſilypo ſylvæ, ſylvis reſponſat Olympus.
Ipſe ego te molli frontem velatus acantho
Pone ſequar; neque enim tantæ novus advena pompæ
Auſim Partheniæ laurum prenſare Camœnæ;
Nec mihi fas, tacitos qui duxi inglorius annos,
Et dudum vacuo preſſi leve carmen in antro.
At quis humo me tollat? io quis Fata ſequentem
Regia trans nimbos Cælo inferat? O ades, ingens
Cerdiade Lodoice, tuis hæc mœnia quando
Faſcibus, & vigili fulgent ſolia aurea ſceptro:
O ades, & noſtram Phœbo par excipe Muſam;
Inſuetumque Aulæ Regum in Penetralia Vatem
Defer, & arcanas Fatorum evolve latebras.
Alter eris jam Phœbus, & altera, Te duce, ſurget
Pimpla mihi dorſo facili; nam primus ab illo es,
Qui beat Hiſpanum ſceptris felicibus Orbem,

 Otia

Otia cui populi, Pietas cui Romula curæ,
Numinaque, & juſti, cæleſtia dona, triumphi.
Quin & flaventemque comam, Phœbeaque jactas
Ora; tuo quòd ni ſpirares corde Gradivum,
Phœbus eras; unum gemino ſed pectore Numen
Dum geris, hinc Civem mulces, hinc proteris Hoſtem
Serta ferens, atque arma. Meos ergo accipe cantus,
Ingenteſque animos Fatis ingentibus apta.
Vix tandem exuvias gelido Marianna ſepulcro
Ceſſerat, & patriis animum tranſmiſerat aſtris;
Quam magno thalami ſociam, ſceptrique Philippo
Tradidit Auſtriacos nectens Germania faſces;
Illa ſolum pertæſa, ſolo tamen ardua torquet
Lumina; nam veteres materno in pectore flammas
Geſtat adhuc, menti Proles auguſta recurſat,
Aulaque, Fortunæque doli, cladeſque, minæque,
Et conjurati Regnum diſcindere Galli.
Funereos tum fortè olli Rex magnus honores
Solvebat, matri ſoboles, & thura litabat
Ante aram in templo: quem circùm ſqualida fletu
Agmina denſantur, Cives: pars carmina tractim
Ieſſæo de more canit, funalia dextra
Pars rapit, & ductis graditur longo ordine ſignis.
Interea Matres, Te, Clotho perfida, teque
Luctibus, & fremitu incuſant, Fortuna, virili;
Reginæ memorem pertentant funera mentem,
Oſtentantque Vrnam; medio namque aurea templo
Vrna fovet caros cineres: quam vertice ſummo
Extulit & gemmis moles inſignis, & auro.
Nec non vittatus ferali in veſte Sacerdos
Thura adolet, funditque preces, & Numen Olympo
Evocat, & dias Epulas, ac pocula libat.
Ipſe autem ante alios poſito mœſtiſſimus Oſtro

It Carolus, nec jam ſceptrum gerit: alta dolori
Mens patet heu! nullis quæ dudum exterrita fatis.
Quem non Mars potuit, triplici non Gallia bello
Flectere, maternum flectit nunc funus, & ipſam
Iam chlamydem irrorat fletu, ſed neſcia vinci
Corda modum lacrymis, & acerbo frena dolori
Impoſuere: tacet; vix & ſuſpiria, Divos
Queis moveat, Divis Heros gratiſſimus urget.
Illa etiam Fati ſubiit cunctantis imago,
Irrupitque animum; namque ipſum Regia proles
Exoptata diu thalamo deluſit inani.
Quid ſtruat? erepta quæ Numina Matre requirat?
Queis Sobolem votis? Regni cui linquat habenas?
Torqueat immoto ferum qui culmina dorſo,
Monſtra premat, ſolioque Aras ſuſtentet avito.
At Regem Genitrix cælo ſublimis ab alto,
Et curas verſantem animo, & miſerata dolentem eſt:
Quin etiam, tardent dîæ ni pectora flammæ,
Ipſa imas iterum celeri impete dividat auras,
Hiſpanoſque regat, jam non ſua munera, faſces.
Qualis, ubi ſumma volitans Iovis armiger Æthra
Ingreditur, Phœbumque oculo rimatur hianti,
Sæpe tamen viſo connivent lumina Phœbo;
Sæpe ſolum obtutu repetit, prolemque relictam
Altior explorat, diverſoque uritur igni;
Hinc illum alternis, atque hinc amor abripit alis.
Has ubi tum curas animo Marianna revolvit,
Fatorum in ſedem, loca clauſa ſilentibus umbris,
Nube micans rutila greſſum tulit. Eſt latus ingens
Ætheris, ultra Eurum, nimboſque: hic atria quondam
Dia Pronæa ſibi ſtatuit, vigilique reduxit
Arte lares; dubioſque hominum certo ordine caſus
His adytis, atque his adytis obtendit; inacceſſum

Vt nulli liceat, Divæ ſine numine, limen
Aut libare oculo, aut mortali attingere planta:
Tercentum hic ductæ ſolido ex adamante columnæ
Aſſurguntque polo, & tecti faſtigia firmant.
Quas circùm gravia arma Ducum, galeæque, jubæque,
Et clypei pendent reſides, merituraque famam
Spicula, at hoſtili nondum rorantia tabo;
Palmæque, laurique, & amantes fœdera olivæ
Inter ſe nexis gaudent pubeſcere ramis;
Sertaque nunc ſimulant tenui mavortia flexu
Ornatura comas olim, vinctauraque frontem.
Nec procul hinc tecti ſecreta in ſede lacernis
Implicitæ Regum chlamydes, aggeſtaque raſtris
Sceptra jacent, acri quondam tractanda colono,
Stivaque, regalemque immani pondere dextram,
Quod ſenſim terat eduri grave robur aratri,
Faſcibus, & lauro paſſim immiſcentur opimæ.
Sic Divæ viſum eſt, ævi quæ cardine moto
Res hominum nutu ſtabili verſatque, regitque:
Et nunc illa ſolo raptos tulit altiùs aut hos,
Aut hos: nunc ludens Aſtris dejecit ab altis.
Nec tamen incertam jactis hic ſortibus urnam
Illa movet; noſtræ nam quæ ſunt invia menti
Fata vigil rimatur, & imo pectore ſervat;
Et procul è ſolio Regna omnia circumſpectat
Increpitans, populoſque eadem, Regeſque coërcet.
Iamque adeò ætherias nimbo ſubvecta per auras
Huc avido Marianna gradu tendebat: euntem
Vidit, & auguſto ſeſe tulit obvia vultu,
Exceptamque Pronea ſuas deduxit in ædes.
Tum Regina ſolo primùm languentia figit
Lumina, dein tales effundit pectore voces.
Diva, mihi Numen quà non præſentius ullum eſt;

Cui

Cui centum Poſtes, cui centum altaria ſurgunt
Heſperia latè in magna; quid gens mea tantum ;
Quid lauri meruere ? quibus toto Orbe paratis ,
Fortunæ auſpicio, victus nunc clauditur Orbis.
Aſpicis ? (haud etenim cæli de culmine ſummo
Fata virùm, moreſque oculo metiris inerti)
Aſpicis hæc ? validam intentans Fortuna bipennem ;
Hiſpanoſque lares jam jam everſura, ruentique
Haud impar furit: & Gradivi in veſtibus hoſtem
Iam præit arma gerens, ac tota caſſide ſupra eſt
Bellatrix, audetque novos ſperare triumphos.
Hujus & impulſu, ceu denſo ex aëre nimbi,
Hinc Senones, hinc bella movet Getulus, Iberos
Vi magna dudum conati irrumpere fines :
Nec mora, quin raptas cumulet Rhamnuſia lauros ;
Ni ſubeas, vultuque adſis mihi, Diva, ſereno.
Incute vim Fatis, arcanaſque exere vires,
Tende manum, & reducem in Medos averte Gradivũ,
Sithonioſque armis audentem imponere mores
Coge pati tua jura, tuæ ſuccumbere dextræ.
Quin meus Hiſpana, viden ? ut langueſcit in Aula
Carolus, Auſtriacis quem nunquam indebita Fatis
Vota ferens tandem longævo enixa Parenti
Hæredem genui: hic patrio nunc mœret in Oſtro
Oſcula nulla legens: nulli blandita Philippo
Regia purpurea fulgent cunabula pompa.
Te per ego hoc, Genitrix, Fatorum limen, & Aulam
Sideream, per, ſi qua tuis ille obtulit Aris
Supplex dona; per hãc, mihi quã fas prendere, dextrã,
Indulge auſpiciis precor, ò; luxataque firmans
Numine Regna tuo, ſobolemque, & plurima Regi
Heſperio da luſtra ipſos viſura nepotes.
Dixerat hæc; tum Diva adytis ſic orſa recluſis:

Po-

Pone metum, Marianna: tori non otia, nec Te
Fortunæque vices, aut terreat ipſe, nivali
Agminibus denſis ſi Mars erumpat ab Æmo,
Non ullæ armorum facies: *Nam nititur Aris*
Res alta Auſtriadûm. Cælo ruere ante revulſo
Aſtra ſinam, & pronis detrudi in Tartara flammis.
At verò, ingenti quæ dudum excita tumultu
Europam involvunt, mea ſunt hæc bella, meiſque
Emiſſa auſpiciis. Hoſtis quas ſuſtulit Vrbes
Perque dolos, perque arma, armis mox reddet Iberis:
Namque ipſum exiguo diſcentem tendere campo,
Damnantemq; minas, ſeque in ſua caſtra prementem
Auſtriacis cogam rurſum invidiſſe trophæis.
Quod Medi indoluere, meum eſt: ego cladis acervos
Danubii ad ripam ſtatui: me vindice puppes
Boſphorus, & cæſas gemit urbs Byzantia turmas,
Damnaque, bellorumque moras: hæc dextera Regem
(Quid dubitas?) Regem verſis hæc dextera Fatis
Eripuitque Aulæ, feralique exuit Oſtro;
Vt tandem ſparſis lethæo ſanguine campis
Incolumem ſine clade olim ad ſolia alta reducat
Splendidiùs, reddatque novis altaria templis.
Bella (vides?) totum paſſim jam lenta per Orbem
Deſedere: ſilent litui; rata fœdera Galli,
Quamquam iram ſimulent, optant tamen: ipſa, repulſæ
Nam pudet, extorrem jam vota Britannica Regem
Aſſenſu revocant populorum, & ſceptra reſignant.
Nunc age, progenies Carolo quæ deinde, nepotes
Qui veniant veteri Auſtriadûm de ſanguine, pandam;
Et Fata expediens annorum arcana movebo.
Hæc ait: abrupti Reginam ad limina Templi
Dein tulit; extremos Ævi proſpectus in annos
Vnde patet tractu longo; tum monſtrat & Aulam,

Et

Et Palatino ſurgentem â germine ſtirpem
Heſperiam, Marianna avido quam lumine luſtrat.
Namque videt fortem Carolum, fortemq; Philippum,
Ambos Carolidas, ambos patria ora gerentes,
Ac viridem lauro crinem, ferroque coruſcum
Pectus, & Hiſpanum pugnaci in pectore Martem.
Hic reget Imperio populos, atque aurea terris
Tempora reſtituet: Latios hoc Vindice fines
Compoſitis latè bellis Pax alma reviſet:
Ille triumphales Eoo in litore palmas
Conſeret; Oceanumque, & inhoſpita Regna ſequutus
Bactra premet; premet Arſacidas, Gangemq; ſubactũ
Non uni Phœbo domitis aſſurgere ripis
Coget, & aurato delabi molliùs alveo.

Parte alia Fridericum, & ovantem Marte Rodulphũ
Cernere erat; geminos magno quos ſponſa Philippo
Inter laurigeros educet Norica faſces;
Albertique genas, & Te, Leopolde, trophæis
Inclyte; namque illum famaque, & nomine ſignas,
Qui nunc Iſmarios Germano milite Campos
Irruit, atque Aquilas prono jam deſtinat Æmo,
Et debellatis mavortia vincla Gelonis.
Auſpice quo, lætos pubes Romana triumphos
Trans Omolen victrix, trans Mænala, tranſq; remotum
Protrahet Euphratem, Nomadaſque ad frena volentes
Ducet: hyperboreis horrent quæ luſtra pruinis,
Sidereis adiget paulatim aſſueſcere flammis:
Et loca quæque Hypanis, rapido quæque alluit æſtu
Aſcanius, Fidei rurſum ſacrabit avitæ.

Hanc Regina animo ſobolem proſpectat ovanti,
Inde aliam ſuper, atque aliam, quæ maxima Regum
Agmina: purpureis fulgent in veſtibus omnes;
Omnibus unus honos formę eſt, jubar omnibus unum,

Ei

Et flaui crines, & labra exerta decoro
Murice, Phryxeoque ornatum vellere pectus.
Præcipue votis toties afflata Philippi,
Et Caroli notat ora ſinu ſurgentia lacteo;
Attollitque animum, curaſque exturbat inanes.
Ac veluti, hiberna ſi quando in nocte procellæ
Ignibus infremuere, micant lymphata per auras
Fulmina, Scyllæaſque arces, aut ſaxa Pelori
Vda petunt: Libycam Thetin, Ioniamque minaces
Irritant Euri nimboſo turbine. Cælo
Sed poſtquam gemini, Ledeïa ſidera, fratres
Affulſere, fugant nimbos, Solemque reducunt.
Non aliter proles, thalamo quæ adventat eburno,
Exolvitque metu Mariannam, & gaudia reddit.
Cui Virgo, nunc tempus, ait, præludere magnis
Auſpiciis: ego ritè annos emenſa morantes
Aſſequar; at ſummo quæſitos æthere rores
Tu lege, ſidereaſque in lympham contrahe flammas;
Quo tandem Regina ſinum turgeſcat ab hauſtu
Iam Mater; numeroque tori diſcrimina vincat.
Regna novo firmanda auſo; nunc ignibus uſus,
Nunc Superis: toto vallanda eſt Auſtria cælo.
Illa hæc: aſt operi curas accingit, & orbes
Flammigeros Marianna petit: quam fulgida ſtipant
Agmina, ſidereæ Charites, Agnæaque Virgo,
Atque Arete, atque Agape, atq; aſtris formoſior Elpe,
Elpe oculos vitta tenui velata pudicos.
Addit ſe comitem, cultu quæ gaudet Ibero,
Relligio; & geminis jam nunc gratatur alumnis;
Quique polo Heroum laudes Honor evehit, & quæ
Gloria mortali libarier inſcia ſenſu
Trans tumulum raptos meritis immiſcuit Aſtris.
Ergo alacri latè Mariannæ in gaudia cœtu

Hinc

Hinc atq; hinc funduntur Olympides; illa ſmăragdis
Illuſam dextra pateram gerit, & præit ignes
Per medios: annumque polo miratur euntem,
Nexantemque novas ſua per veſtigia ſpiras.
Iamque iter emenſæ magni juga lactea Cæli
Exuperant: roremque legunt, quem ſidera ſenſim
Sponte dedere ſua nitidis liquentia guttis;
Nam tenuem exhalant nebulam; tum lumina denſant
Roſcida; ſidereas & inundant imbribus oras.
Hic aliæ niveos obliquo è tramite rores
Collegere: liquant aliæ Nemeæ Leonis
Viſcera, & Alcidæ carptam de pectore flammam:
Fervet opus; ſpumant madidis carcheſia labris.
Huc etiam Perſeus undantem Gorgona, Chiron
Phillyrides pharetram, & fluidas, rutila aſtra, ſagittas
Intulit: Herculeum fulgetque, & fluctuat aſtrum.
Vos quoque, vos tumido felicia ſidera ponto,
Tyndaridæ, tuque ô ponto fatalis Orion,
Tuque Ariadnęę jubar immortale Coronæ
Huc fluis Auſtriacos gemmis prætexere crines:
Quin Iovis huc, & Martis opes, huc omnis Olympi
Ceſſit honos: Phœbi nam ſe lux plurima dulcem
Induit in rorem, reſilitque, atque immemor almum
Ferre diem Oceani fluctus contemnit amaros.
Aſt Honor Auſtriaco jam dudum aſſuetus amori
Amphytrioniadæ magni, tela ignea, clavam,
Ægidaque anguicomam, fulvumque Orionis enſem
Suſtulit, Hiſpano mittat quæ munera Regi:
Ille ut tergeminum triplici geſtamine vincat
Geryonem, ac veterum præeat decora ardua laudum:
Purpureo ſed enim torvam tegit ægida velo:
Ni tegat, abrupto jam jam dureſcere dorſo
Auſtrique Boreæque domum, nimboſque videres,

Culminaque, & rigidas tolli medio aëre cautes.
Nec minus & cæli diverſa in parte Pronæam
Solicitant curæ ſimiles: namque inſtruit Ævum
Arte nova, & palmis cunas inſternit Iberas.
Sunt gemini Vitæ Poſtes; quorum alter aheno
Limine ſive animas plebejum in nomen ituras
Emittit, ſeros ſeu queis Mors invidet annos:
Alter at à gemmis, & Olympiaco electro
Fulgurat: Heroum Manus hinc egreſſa jugales
Fœcundat Regum thalamos, ditatque trophæis.
Veſtibulum hoc fatis aperit felicibus, aureas
Ipſa Pronea feras forti molita bipenni
Frangere, diducitque fores, atque atria pandit,
Expediitque moras Fatorum, ut latiùs ingens
Agmen eat, reparetque citis natalibus Orbem.
Diva dehinc, mora nulla, poli convexa relinquit,
Inviſitque auras, & amicum Morphea nimbis,
Morphea nimborum comitem, cui ſomnia cordi,
Et curæ memores, juſſis compellat, ut umbras
Per medias leni Reginæ in limina tractu
Se furtim inſinuet, mentique illapſus avitos
Auſtriadùm vultus ſimulet; quò protinus, omnes
Dum recolit ſumma ductos ab origine Reges,
Ipſa Atavum laudes Prolem tranſmittat in unam,
Fœcundetque torum, & cunctantes expleat annos.
Tum rapidis imum pennis ſubit aëra Morpheus;
Quàque ſubit tenuem traxit per nubila rimam:
Non ſecus atque ignes Auſtrorum à ſede triſulcos
Vltrici intendit dextra cum Iupiter, aut cum
Sæpe per æſtatem ſudam, ſub nocte ſilenti,
Viſa polo avelli medio, rutilantque caduntque
Sidera; quæ ſcopulo obſervans piſcator ab alto
Deſtituitque hamum, atque antro ſe immiſit opaco.

Ille autem Hiſpanæ poſtquam celer aſtitit aulæ,
Continuit lapſum, & mortali pervia ſenſu
Ora refert: leni crines dat fundere vento :
Oſtentatque novos cultus, & non ſua tela.
Tunc adit Auſtriaci ſenſim penetralia tecti,
Laurus ubi ingenti propellit nubila dorſo,
Ipſa ingens, annoſa, altæque ſimillima ſylvæ ;
Et, ſi non uno ſe ſtipite tollat ad auras,
Sylva foret. Famæ monimentum, hoſtilia denſo
Arma ſinu ſervat; roſtro quæ ſæpe minaci
Aſſuetæ ramis Aquilæ jactantque, trahuntque.
Quam ſubter Marianna toris effulta jacebat
Heſperidùm Regina: intexti circulus auri,
Et tyria è lauro pendet chlamys; aurea gemmas
Fulcra tenent, ſceptrumque: acres at pectoris æſtus
Non lenire ſopor, molli non purpura cultu,
Nec valet aura, tuis quam lenior advehis alis,
Phoſphore Phœbeum referens jubar: ipſa dolori
(Vrget enim dolor) effuſas immittit habenas;
Nam mentem ſterileſque tori, fortunaque, & omnes
Bella per Europæ populos bacchata trahebant.
Huc atque huc trepidam: jam, quæ color ora reliquit,
Protinus irrumpunt lacrymæ: jamque invidet urnæ,
Cui dudum mœſtam ſuſpiria fudit ad Aram:
Ingeminant curæ; vigilique hæc corde volutat.
O felix una ante omnes Leopoldia conjux,
Auguſtum in thalamum celeri quæ pignora partu
Bina tulit; cui nunc hilares Germania plauſus
Integrat, Iſmariique vovet ſpolia ampla Tyranni.
Illa quidem blandæ petit altera & altera prolis
Oſcula, Sithonium captans jam corde triumphum.
Aſt ego, quæ ſceptris terras complector, & undas,
Irrita (dicam equidem, pudeat licet) irrita vento

Vota dedi: & vacuis oneravi altaria donis.
Quò ferar heu? lacrymis quæ cæli Numina flectam?
Quem Divùm implorem? vel quò ſuſpiria vertam
Infelix? cui nil tandem niſi vulnera reſtant:
Vulnera amem, tumulumque audentior. ò ubi,qui me
Irruat, ultricemque ferox contorqueat haſtam
In latus hoc: merui: nec inultos deprecor ictus.
Ibo, & fulmineum ſpirant quæ prælia Martem,
Nuda genas, armiſque ſinus exuta laceſſam;
Fluctibus aut tumidis occurram, atque æquora ſaltu
Ima petam: vos ò duræ miteſcite cautes,
Litora vos: gelidiſque rudem, precor, artubus urnam
Pandite, quæ cineres cultu componat inani;
Hiſpanaſque trahat Mariannæ à ſanguine laudes.
Exorere ò aliquis noſtris è luctibus Heros,
Cui victrix olim magni poſt fata parentis
Debeat & famam, & reduces Hiſpania palmas.
Quamquam ò: ſed noſtro ſurgas à funere: vitam
Sic ſic Hiſpana certum eſt pro laude paciſci.
Hoc Superi annuerint, hoc ipſa Pronæa, ſecundis
Auſpiciis thalamos quæ Regum, & gaudia curat.
Plura loqui conatam inhibet dolor; oraque fletu
Alluit; ac tacitis turbat præcordia curis.
At Diva è ſolio, ſummis quod diſtat ab aſtris,
Lethæas quantùm ſuperant aſtra ardua ſedes,
Audiit, & rapido partim diffundier Euro
Vota jubet: partim cœptis felicibus implet.
Namque toro geminam fundet Marianna jugali
Progeniem: & mœſtis referet nova gaudia Regnis;
Sed non antè, cruor quàm venis diffluat, & quàm
Effundat ſteriles letho jam proxima vires.
Quare illam hæc triſti jactantem pectore Morpheus
Occupat; atque aura paulatim, ac rore ſoporo
Lu-

Luſtrat, & in dulcem declinat lumina ſomnum.
Tum verò auguſtas tenui ſub imagine formas
Induit, alternans: huic lauro, huic caſſide frontem
Horrifica tegit; huic flexa caput abdit oliva.
   Fit Carolus, bello trepidantem qualis ad Iſtrum
Olim Threiciis contraxerat arva trophæis:
Qualis & invicto vim duram, ac vincula Regi
Intulit, inque ipſis ſtatuit Capitolia caſtris.
Tum Fernandæum fundit jubar: inde Philippos,
Teque refert, Alberte; tuis Friderice ſub armis
Exultans fremit; hinc magni fert ora Rodulphi,
Auſtriacam primus qui ſceptro ſuſtinuit Rem,
Pronus humi in ſylvis dum dapſile Numen adorat.
Dein alios ſeſe in vultus fulgentior abdit
Nunc huic, nunc illi ſimilis: ſtupet inſcia, formas
Dum vacuas Regina modis ſe attollere miris
Aſpicit; at poſtquam pubem deprendit amicam,
Auſtriacaſque genas, jam dextra captat inani,
Iamq; ulnis refugas nequicquam amplectitur umbras.
Iam ſpecies bellorum, & Martia prolis imago
Solicitant animum, finguntque ad grandia pectus.
Et ſecum: O utinam ſimilem mihi Numina Regem
Alma darent; olim patrio qui fulguret oſtro;
Quem Proavûm lauros, & magna exempla ſequutum
Heſperidæ primo jam tum mirentur in ævo
Sic animos, ſic ora, manu ſic tela ferentem!
   Hic verò audiri fremitus procul; obvia telis
Tela leves turmatim effulgere viſa per auras,
Claſſicaque, & ſævæ raptim increbreſcere pugnæ.

Diripiunt artus, & languida pectora vincunt.
His demũ expletis, ſummũ petit æthera Morpheus.
At Regina toro lapſantem attollere frontem
Ter conata (ter hæſit enim revoluta toro frons)
Ter mœſtùm ingemuit; gemitu quo tecta reſultant
Regia, & attonitæ reſponſant luctibus auræ.
Illam etiam Heſperidæ,illam etiam flevere Sicani;
Triſtior illam etiam Sirenum flevit in oris
Parthenope, multo ſocians ſuſpiria fletu:
Et nemorum rimata omnes, pontique receſſus
Miſit odoratas, flammam queis mulceat, herbas.
Non illam nemorum, non illam munera ponti
Vlla juvant: neque enim Cælo vis ulla reſiſtat,
Nec niſi ſidereos vivat Marianna per hauſtus.
Ipſa quidem tenero moriens languebat in ævo;
Pallentem vultum, & ſuffuſo lumina tabo,
Squalidaque ora gerens; quæ circùm horreſcit imago
Martis, & invalidum telo latus urget acuto;
Fatalemque trahit ſterili cum ſanguine labem.
Aſſidet, & fato Carolus torquetur eodem:
Incumbitque toro, lacrymaſque effundit, & altum
Iam ſolium oblitus, vitamque in conjuge dulci
Languet: cum ternas inſomni lumine noctes
Duxiſſe, & longa perhibent expleſſe querela,
Teſtantem Superos,ac ſidera voce moventem:
Nam neque adhuc quò fata trahant, quis talibus orſis
Exitus, aut memores novit Genitricis amores.
Interea ſummo ſeſe referebat Olympo
Hiſpanam in ſedem Genitrix, Euroſque ſecabat
Fata ferens: & jam regalem deſuper urbem
Nubibus è mediis propior ſpectabat, & aulam,
Heſperidùmque metus, ipſamque in limine vitæ
Reginam, lethique moras, & dulcia damna.

Sæva die ſolennem illo Fortuna triumphum
Per populos paſſim pompa ducebat inani,
Omnia Gradivo ſimilis, cultumque, furoremque,
Et frontem galea horrentem, & ſpirantia clades
Pectora, ſanguineoque oculos fulgore micantes.
His obducta dolis, & non ſua ſpicula geſtans
Ibat; eam Belli ſtipant ſocia agmina, Fraudes.
Inſidiæque, Minæque, & opum veſana Cupido:
Famaque, quæ veris involvit falſa ſequaci
Murmure, quæque ipſos acuit Diſcordia fratres.
Iamque propinquabat ſoliis, aulamque tenebat,
Certa ſuam Heſperia frontem vincire Corona.
Ergo ipſam Marianna polo ſpeculata, triſulcis
Ignibus afflavit, ſolioque illiſit Ibero
Multa obluctantem, & clypeo trepida ora tegentem.
Dein minitans fractamque rotam, crinemq;revulſum
Diripit; ac lauro crinem ſuſpendit ab alta,
Quæ latè Auſtriacos vernat complexa penates:
Eure, rotam tibi naviſragos permittit agendam
In ſcopulos, inque antra ſuis horrentia flammis.
Diffugiunt paſſim comites; nam Gallica Fraudes
Antra, Minæ Libyam, Diſcordia ſæva Britannos,
Fama petit Morinos, Gangem petit ardor habendi.
Illa cadit, ſimul arma manum, ſimul ærea frontem
Tegmina deſeruere: furor tum ceſſit, & ipſo
Inſtabilis caſu patuit Dea; nec gerit haſtam,
Nec clypeum: ſed mordet humum qua ſternitur, & ſe
Dejicit, ingentemque trahit collapſa ruinam.
Tum Marianna rotis auguſtæ allabitur aulæ,

Nam tibi parta ſalus; trepidis ſpes caſibus unde èſt:
Nec te ulla aut Fati labes, aut ſæva dolorum
Vis moveat, Regina; poli magnum inſtar in illis.
Hi tibi (quod non rere) ſinus diſpendia ſupplent;
Quare age, & ætherei roris cape pocula, Divûm
Munus, & exortes Lucinæ nectar in uſus;
Nec mora (nulla etenim Fati mora legibus obſtat)
Et ſuus inſurget membris vigor, & ſua Regnis
Fata; feres geminam mox hauſto à nectare Prolem.
Dixit; at illa avidis prenſat carcheſia labris,
Et laticem bibit, & liquidis ſe proluit aſtris,
Multa ſtupens: blando raptim per viſcera niſu
Siderei inſinuant rores; it corpore toto
Martia vis; ſurgit thalamo Marianna relicto;
Iamque Aſtris par ingreditur; jam pectore Martem
Excipit; Hiſpano jam gaudia dividit Orbi.
Fit ſonitus: latè feſtivo abrepta tumultu
Subſilit Aula: ſtupent Proceres: ſtupet ipſe parentem
Dum videt hinc Carolus radiiſque oſtroq; decoram,
Hinc lætos figit ſervata in conjuge vultus;
Et procul, ò noſtris, inquit, decus addita rebus;
O quam te memorem! an Genitrix, an Diva vocari
Ritè velis; an utramque mihi te reddis? Iberis
Quæ culmen fueras ſoliis, nunc rurſus jiſdem
Addis opem; & fida ſervas in conjuge Regem.
Arridet ſoboli Marianna, ac talia fatur:
Immo ego, te tenero quæ fovi mater in ævo,
Nunc eadem (neque enim Divæ me nomine dignor)
Lapſa polo clavā hanc, monſtris quæ aſſueta domādis,
Hunc rutilum, ætherei geſtamen Orionis, enſem,
Ægidaque horrificam tibi largior; accipe fatis
Munera digna tuis: atque hæc, ſeu tendere in hoſtem,
Sive opus eſt fraudes, & debacchantia latè

Agmi-

Agmina ſternere humi, rape fortior; irrita nunquam
Bella geres; nec dextra tuos fruſtrabitur ictus.
Vix ea, tum Carolo clavamq; atque ægida mater,
Fulmineumque enſem dat habere; inſignibus armis
Rex micat;invictumque refert jam Gorgone Perſeum,
Alciden clava, ſtrictoque Oriona ferro.
Hos inter plauſus, atque hæc ſpectacula, Regum
Extemplo nova res animos avertit; inermem
Namque ubi ſe Fortuna ſibi jam reddita ſenſit,
Vtque rotam vento abreptam, crineſque reciſos,
Et Regem æthereis fulgentem vidit in armis,
Tum verò furiis demens exarſit, & altè
Indoluit: dein has dedit imo è corde querelas.
Mene ſolo ut lapſam ſpectet Bellona triumpho
In medio? poſt tot domitos ingloria Reges
Huc trahor ò? quid agam? qua vi fata effera vincam?
Sed vincã: huc ſtrages,huc bella, huc quidquid inausũ (eſt
Hactenus; huc Numidumq; iras,Galliq;furores
Deproperare juvat. quid ceſſant fulmina? flammis,
Queis cecidi, poſſum ipſa meas opponere flammas;
Nec Marti Fortuna, polus ſi corruat, unquam
Defuerit: Divos dorſo hoc, cælique ruinas
Excipiam, cælo, ac Divis par una ferendis.
Tune mihi hic hodie, telis ſpectandus, & aſtris
Illudas? tu? ſidereo nec ſternimur ictu,
Nec Fati inſidias, nec Divùm horreſcimus iram.
Iſta dies quæ ſim memoret. Nec plura,ſed ipſum
Torva tuens, fremit: inde oculos huc vertit & illuc,
Ceſſantem ſi forte haſtam ſi forte furori

Quam Regi Heſperio, duplici cum fœdere dextram
Iungeret, auſpicium bello dotale gerendo,
Rex Senonum, pacem & Gnatæ connubia poſcens,
Tradidit, innocui non aptum pignus amoris.
Hanc rapit, & niſu raptam contorquet inani
Eminus: illa volans regali in caſſide criſtam
Libat, deindè leves, ceu flamma, evadit in auras.
At Carolus (piget imbelli nam ſanguine ferrum
Lædere) eam dextra cohibet, quando ægida lævæ
Implicuit, ſumptoque audentem inſurgere telo
Fudit humi victor, pronamque gravi pede preſſit.
Illa, quid heu miſeram, Regum mitiſſime, vexas?
Quidve, ait, inſultas? tua ſum: nec tendere dextram
Me pudeat; faſtumque tuo ſubmittere ſceptro.
Reſtitit hic, pariterque pedem deflexit, & iras
Auſtriades; & jam fletu vincatur inerti,
Attollatque manu: ſed avita monilia collo
Ducta videt, patrii fulgent quæ velleris auro,
Quæque Deæ nuper largita eſt Gallia, poſtquam
Loiſidæ magni ceſſit felicibus armis
Sequanus. Inviſi ut primùm monumenta trophæi
Enituere, fremit; colloque avellit, & ultrò
Tortile Rex manibus lapſæ circumdedit aurum:
Dein ſolio fruſtrà renuentem, ac vincla terentem
Alligat: illa diu luctatur, & acrior inſtat
Rumpere lora manu, validamque opponere vim vi:
Attulit ipſa ſuæ damnum fatale ſaluti;
Namque furens animis dum brachia jactat, hiantem
Gorgonis anguicomæ rapto velamine crinem
Detegit; obtutuque ſui immemor hauſit; at illam
Vt videt, ut riguit gelido mœſtiſſima vultu,
Iam lapis, & ſtabili ſe vertice tollit in auras
Rupis opus; veteris ſedenim veſtigia frontis
Ser-

Servat adhuc, Fatumque humero ſuſtentat Iberum,
Indecoremque rotam, cultuſque oblita priores.
At Marianna polum rurſus petit; inter & aulam,
Inter & aſtra viam palmis inſternit, Olympo
Sæpè redux, facili quà ſe victoria lapſu
Flectat, & auſpiciis regales muniat arces.
Nec mora, quin geminam, Regni duo ſidera, prolem
Oſtendat populis Regina, Orbemque ſecundet,
Serà licet, referatque ſuis ſecla aurea ſceptris.
O Superi, quorum ſacros Hiſpania faſtos
Alma colit, ſervatque aras, & limina; Tuque
Tu Superum Regina, polo quæ maxima fulges;
Tuque Pronæa, diu Auſtriacis evecta triumphis,
Hæc, ego votivis auſus quæ ludere plectris
Sebethi ad ripam magnæ Sirenis in aula,
Vos tandem afflatu, vos ò firmate ſecundo,
Et Sobolem Regi, & Soboli date Regna futuræ.
Tunc erit, ut Pariam læto hoc in litore molem
Conſtituam, ſummo auguſtos quæ culmine fratres
Tollat: eos circum populi ſpirantia flammas
Corda micent, nectat viridi quæ plurima ductu
Laurus, & Euboicos Regi teſtetur amores.